DE

# LEGE PLAUTIA

## QUÆ FUIT DE VI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

W. ZELLMER.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXV.

## I. Leges de vi quot fuerint ante a. u. 702.

Leges de vi ante Pompeiam legem anni u. c. 702 fuisse dicuntur vulgo duae: Plautia sive Plotia et Lutatia.

Ac Plautia quidem lex his, quod equidem sciam, locis apud veteres auctores commemoratur: Caelius ad fam. 8, 8, 1 (C. Sempronius Rufus) M. Tuccium, inquit, accusatorem suum, post ludos Romanos reum lege Plautia de vi fecit, similiterque in Miloniana §. 35 reus Milonis lege Plotia dicitur fuisse Clodius, quoad vixisset. Tum et Catilinam lege Plotia interrogatum esse a. L. Paullo Sallustius bell. Cat. 31 tradidit et reliquias coniurationis Catilinariae eadem lege damnatas esse cognoscimus ex Pseudo-Sall. in Cic. 2, 3 collatis Schol. Bob. in Sull. XXXIII. (Or. p. 368). Denique Asconius in Mil. extr. (Or. p. 54). M. Saufeium, Milonis amicum, apud Considium quaesitorem lege Plotia de vi postulatum esse ait, „subscriptione ea, quod loca [superiora] occupasset et cum telo fuisset: nam [etiam in consulatus petitione dux fuerat (Halm)] operarum Milonis“. Memorat praeterea Plautiam legem Calvus apud Quintil. 9, 3, 56: „Non ergo magis pecuniarum repetundarum quam maiestatis, neque maiestatis magis quam Plautiae legis cett.“. Adde his Julianum Dig. 41, 3, 33, 2 et Gai. 2, 45.

Lutatia autem lex uno nominatur loco, Cic. p. Cael. 29, 70: „iam intellegitis quantum iudicium sustineatis, quanta res sit commissa vobis: de vi quaeritis; quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet, quam legem Q. Catulus armata dissensione civium rei publicae paene extremis temporibus tulit, quaeque lex sedata illa flamma consulatus mei fumantis reliquias coniurationis extinxit“.

Duae igitur cum fuisse statuerentur de vi leges, quaenam inter utramque ratio intercessisset, diu quaesitum est. Iam plerique innixi loco Caelianae §. 1 hoc statuerunt fuisse discriminis, ut a Plautio ordinariam de vi publica quaestionem dicerent constitutam fuisse, Catulum illud unum addidisse, ut quotidie quaereretur et ut esset quaestio extraordinaria. Ingressus est hanc viam Ferratius in epistolis p. 53 ep. 12, eumque secutus est praeter alios Rein Criminalrecht p. 738 not.

Labefactavit hanc opinionem Waechter, Revision der Lehre vom Verbrechen der Gewaltthaetigkeit (N. Arch. XIII, p. 18), Plautiam legem a Lutatia quam dicerent diversam fuisse omnino negans. Monuit enim nusquam nisi uno illo Caelianae loco Lutatiae legis mentionem fieri, immo etiam post tempus illud, quo Lutatiam, si talis fuisset, latam esse oporteret, Plautiam solam legem commemorari. Deinde quod Cic. p. Cael. 29, 70 lege Q. Catuli factum esse ait, scilicet reliquias coniurationis Catilinariae fuisse extinctas, idem a Pseudo-Sall. in Cic. 2, 3 Plautiae legi tribuitur. Postremo idem illud, quod Ferratius eumque fere secutus Rein legis Lutatiae proprium esse dixerunt, de lege Plautia dictum esse invenitur. Scilicet Ferratius de legibus his ita statuit (epist. p. 29): „Erat et Plautia lex, inquit, de vi publica, lata a M. Plautio Silvano tr. pl. Cn. Pompeio et L. Porcio cos. (= u. c. 665), quam deinde Q. Lutatius cos. (i. e. u. c. 676) renovavit, ut de seditiosis civibus iudicium quotidie institueretur, etiam festis diebus, cumque haec lex vim publicam spectaret, illa privatam, necesse est duas diversas fuisse quaestiones". Cf. Rein l. l. At Caelius ep. ad fam. 8, 8, 1: „Scito, inquit, C. Sempronium Rufum — calumniam maximo plausu tulisse. Quaeris, qua in causa. M. Tuccium, accusatorem suum, post ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit, hoc consilio, quod videbat, si extraordinarius reus nemo accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam". Itaque eadem illa iudicii atrocitas, quam in lege Lutatia exercitam esse

voluit Ferratius, Plautiae legi tribuitur, unde diversas non fuisse sequitur. Si vero clausula tantum Plautiae legi addita fuit Lutatia, sicuti Rein opinatur, vereor ne non recte dixerit Cicero p. Cael. 1 quaeri de vi ex lege Lutatia.

Quodsi inveniri nihil potest, quo Plautia lex a Lutatia diversa fuerit, cum e contrario utraque a veteribus ita confundatur, ut quod de altera lege dictum sit, ab aliis auctoribus alteri tribuatur, una eademque lex putanda est. Qua re probata, quaecunque ante Pompeiam legem anni u. c. 702 de argumento legis de vi dicta esse inveniemus, ad Plautiam de vi legem iure referemus. Iam videamus de argumento.

## II. Argumentum legis.

### §. 1.

### Priorum opiniones.

Bipertita fere est opinio virorum doctorum de argumento legis Plautiae de vi. Aut enim delictum requiri putant, quod contra rei publicae statum ac securitatem commissum sit, aut privatorum etiam hominum iniurias vi quodam modo illatas prohiberi lege illa arbitrantur. De ea re qui copiosius disputarunt, eorum opiniones hic repetam. — Atque antiquiores quidem quid de lege statuerint, exposuit Waechter, Revision der Lehre cett. Neues Archiv des Criminalrechts XIII, p. 19, 20. Ipse autem rem diligenter tractavit in commentationibus quae extant ibidem tom. XI, XII, XIII, repetitis fere ab Orellio in indice legum. Putat autem Waechterus, ut brevi rem comprehendam, privatas iniurias a lege non alienas fuisse. Ait enim haec fere (l. l. XIII, p. 5 seqq.): Commune, inquit, otium praeter maiestatis crimen maxime conturbatur vi, eaque in his potissimum civitatibus saepissime exercetur, quae libidine ac licentia potentiorum huc illuc iactantur. His autem discordiis, sive privatarum ultionum causa susceptae sunt sive ad acquirendam in re

publica auctoritatem ac potentiam, cum turbae publicae concitatae sunt, crimen vis nascitur, neque quidquam refert, volueritne reus rem publicam obsidere an non. Deinde singula quaedam enumerat, quae fuerint lege Plotia comprehensa: vim magistratibus illatam, seditiones commotas, hominum ad vim exercendam congregationes, denique locorum publicorum occupationes aediumque vel publicarum vel privatarum direptiones. Iam cum liberae rei publicae temporibus legem de vi privata verisimile sit fuisse nullam, cumque haec, quae modo enumerata sunt, lege Julia de vi privata plerumque reperirentur fuisse comprehensa, antiquam illam legis Plautiae vim in legem Juliam de vi privata receptam esse conclusit. — Adsentitur fere Koestlin, Abhandlungen aus dem Strafrecht, herausgegeben von Gessler, Tub. 1858, p. 419 seqq.

Alteram illam opinionem amplexus est R. John, Ueber den Begriff und die heutige Rechtsanwendbarkeit des roemisch-rechtlichen Crimen Vis (Archiv d. Criminalrechts 1854, p. 64 seqq.). Is p. 73 seqq. haec ait: „Bei den leges de vi haben wir nicht an irgend welche durch Egoismus hervorgerufene Feindschaften zu denken, sondern der Grund zu denselben lag in dem Parteitreiben. — Diese vorwiegend politische Natur des cr. vis kann uns nicht entgehen, wenn wir nur mit einem einigermassen unbefangenen Auge diejenigen Quellen lesen, welche uns zur Beurtheilung des cr. vis vor den leges Juliae erhalten sind (p. 74). — Halten wir diese Veranlassung zu den leges de vi fest, nehmen wir ferner auf den Umstand gebührende Rücksicht, dass alle Quellen, die uns vor den Julischen leges de vi erhalten sind, nur ein politisches cr. vis kennen, — so wird man kaum die Hypothese für zu gewagt halten, dass das aeltere roemische cr. vis ein Verbrechen gewesen sei, welches dann begangen wurde, wenn das politische Parteitreiben zu Gewaltthaetigkeiten führte. Es war also das cr. vis nicht schon dann vorhanden, wenn irgend welches

Verbrechen, wie Mord, Diebstahl, Unzucht, auf gewaltthaetige Weise begangen wurde, sondern es musste diese Gewaltthat hervorgegangen sein aus politischen Tendenzen".

Horum virorum tantum rettuli opiniones, quia prae ceteris, qualem ipsi putarent fuisse naturam et indolem legis Plautiae, strictis definitisque verbis mihi videntur exposuisse.

His praemissis, quae a veteribus tradita sint quaeramus.

§. 2.

Rei lege Plotia de vi citantur hi:

1. M. Tuccius, quem a C. Sempronio Rufo post ludos Romanos reum lege Plotia de vi factum esse scribit Caelius ad fam. 8, 8, 1.

2. P. Clodius de quo Cicero in Mil. §. 35 „reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit" cf. §. 95, Dio 39, 7, Halm praef. ad Sestianam §. 23. Cic. p. red. in senat. §. 19.

3. Catilina et Cethegus. Sall. Cat. 31 „at Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo," cf. Dio 37, 31. Schol. Bob. in Vat. X, 2: „hic igitur Paulus accusare instituerat de vi L. Catilinam et, ut quidam memoriae tradiderunt, C. Cethegum".

4. reliquiae coniurationis Catilinariae. Pseudo-Sall. in Cic. 2, 3. Cic. p. Cael. 29, 70; cf. Schol. Bob. in Sull. XXXIII. (Or. p. 368).

5. M. Saufeius. Ascon. in Mil. §. 95 „(Saufeius) repetitus deinde post paucos dies apud Considium quaestorem est lege Plautia de vi, subscriptione ea" cett.

Accedunt, cum ante Pompeiam alia ac Plotia lex fuisse videatur nulla, hi:

6. T. Annius Milo bis, ut videtur, lege Plotia postulatus, primum P. Lentulo Spinthere Q. Metello Nepote cos. (a. u. 697), defensus a Pompeio, iterum fortasse apud L Fabium quaestorem a L. Cornificio et Q. Patulcio a. u. 702, cum iam damnatus esset lege Pompeia. Ascon. in Mil. §. 38: „Pompeius tamen cum defenderet Milonem apud

populum de vi accusante Clodio" cett. et §. 95 (Milo) „deinde apud L. Fabium quaestorem iterum absens damnatus est de vi. Accusavit L. Cornificius et Q. Patulcius". Cf. ad priorem accusationem Schol. Bob. in Mil. §. 40: „quod gladiatores adhibuisset, ut rogationem posset de Cicerone perferre".

7. Vettius. Cic. ad Att. 2, 24, 4 (a. 695): „nunc reus erat apud Crassum Vettius de vi".

Denique huc referendi sunt, quos Cicero defendit,

8. P. Sulla. 9. P. Sestius. 10. M. Caelius.*)

Ex iis autem quae locis 1—7 posui, Milonis prima et Clodii causa (6, 2) hoc inter se conveniunt, quod in utraque reus arguitur turbas concitasse vel ad perferendas vel ad impediendas rogationes, v. Schol. Bob. in Mil. §. 40, praeterea Cic. p. Sest. §. 34. 35. 75. 76. 79. Cetera aut incerta sunt aut dubia. Namque etiam Asconii locus ille (in Mil. §. 95) nimis lacer est neque Halmii coniectura satis videtur restitutus.

Restant orationes Ciceronianae pro Sulla Sestio Caelio habitae. Ex iis iam quaerendum erit possitne certius aliquid de argumento legis Plotiae erui. Lubrica sane haec est quaestio: fieri enim potest, ut defensor consulto quaedam aut omittat aut obscuret, alia nimis augeat eaque quae cum iudicio ipso vix cohaereant. Idque a Cicerone factum esse et ipse facile suspiceris et a viris doctis dudum observatum est. Contra ab accusatore quoque cumulabantur accusationes addebanturque crimini primario alia, quae proprie in iudicium non venirent, nempe ut iudicum mentes exacerbarentur. His igitur adhibitis cautelis talia fere deprehendere mihi visus sum.

1. Ac Sullae quidem accusato a. u. 692 a L. Manlio Torquato obiciebatur primum illud, quod interfuisset coniurationibus Catilinariis (§. 12. 13. 36). Conspirat hoc cum

*) Omisi Ap. Claudium, Appium minorem appellatum a Caelio ad fam. 8, 8, 3, qui ibidem dicitur de vi postulatus esse a Sex. Tettio, propterea quod, cum epistula illa a. 703 scripta sit, incertum est, fueritne reus lege Plotia. Ceterum de Appio illo cf. Mommsen Roem. Forsch. I, 25.

locis illis Caelianae 29, 70 et Pseudo-Sall 2, 3 supra allatis, quibus traditum est reliquias coniurationis Catilinariae lege Plotia extinctas esse. Latius tamen patet haec accusatio, quam qua lex nostra certis finibus circumscribi possit.

2. Eodem pertinet, quod §. 56 arguitur Sulla Hispaniam provinciam turbare voluisse: „at enim Sittius est ab hoc in Hispaniam ulteriorem missus, ut eam provinciam perturbaret,“ et quod

3. §. 60 dicuntur Pompeiani esse a Sulla impulsi, ut ad istam coniurationem accederent.

Praeterea quae crimini dabantur, ea certius aliquanto rem denunciant. Habent enim omnia hoc inter se commune, quod gladiatores et operae dicuntur comparati atque armati, sive ut comitia turbarentur sive rogationis vi perferendae causa. Sunt autem loci hi:

4. §. 54 „gladiatores emptos esse Fausti simulatione ad caedem ac tumultum“;

5. §. 62 „at enim et gladiatores et omnis ista vis rogationis Caeciliae causa comparabatur“; seditio appellabatur §. 66 cf. §. 64;

6. §. 68 „de quo etiam si quis dubitasset antea num id, quod tu arguis, cogitasset, interfecto patre tuo consulem descendere Kalendis Januariis cum lictoribus — cum dixisti hunc — contra patrem tuum operas et manum comparasse“. Patrem dicit L. Manlium Torquatum cos a. u. 689, qui competitor fuerat Sullae in consulatu.

Accusatus igitur Sulla videtur esse imprimis propterea, quod homines comparasset atque armasset, quorum opera uteretur ad comitia per vim turbanda et ad rogationem illam Caeciliam, qua legis de ambitu poena mitigaretur, perferendam. Atque etiam priora illa tria, quibus coniurationi Catilinariae interfuisse arguitur, quominus eo potissimum sensu accipiamus, ut ad comitia turbata vi et armis pertinere statuamus, nihil impedit.

Sequitur causa Sestiana, acta a. u. 698. Accusatus erat iam antea Sestius a Clodio, de qua accusatione Schol. Bob. arg. p. 292 haec ait: „postquam tamen Cicero ab ex-

ilio rediit, accusare de vi P. Clodius Sestium coepit —; ut hoc praecipue crimini daret, quod supergressus civilem modum rogationem suam non aequitate persuaserit, sed armis obtinuerit". Accusabat autem postea M. Tullius Albinovanus instigante P. Clodio. Sestius enim tr. pl. a. u. 697 una cum T. Annio Milone favebat Ciceroni patria expulso a Clodio. Qui ne revocaretur, Clodius gladiatores armaverat, eorumque opera disturbavit concionem, cui Q. Fabricius tribunus rogationem de Cicerone revocando commendabat. Iam et Milo et Sestius, ut vim vi repellerent, et ipsi gladiatores armaverunt per eosque Clodii conatus represserunt. (V. Halm praef. ad or. p. Sest. §. 21 seq.).

Ex ipsa autem oratione haec adnotanda puto:

§. 78 hic iam de ipso accusatore quaero, qui P. Sestium queritur cum multitudine in tribunatu et cum praesidio fuisse cett.,

§. 75 princeps rogationis (sc. de reditu Ciceronis) vir mihi amicissimus, Q. Fabricius cett.

§. 77 atqui vis in foro versata est.

§. 78 et cum omnia vi et armis egeris, accuses eum qui se praesidio munierit.

§. 84 homines, inquit, emisti coegisti parasti. Apparet igitur Sestium accusatum esse, quod homines coegisset, quorum vi et opera uteretur in perferenda rogatione de reditu Ciceronis.

Restat M. Caelius accusatus a. u. 698 a L. Sempronio Atratino, defensus a Cicerone. De eo Cicero ipse §. 72 haec ait: „M. vero Caelius cur in hoc iudicium vocatur? cui neque proprium quaestionis crimen obicitur" cett. Valere tamen haec de iis tantum, quae a Cicerone defensa sunt, ac ne de his quidem omnino, Quintilianus significat inst. or. IV, 2, 27 „ut si defendendus sit M. Caelius, nonne optime patronus occurrat prius conviciis luxuriae petulantiae impudicitiae, quam veneficii, in quibus solis omnis Ciceronis versatur oratio; tum deinde — totamque de vi explicet causam". Crimina autem duo potissimum refellere studet Cicero,

1. veneni quaesiti quod Clodiae daretur (§. 30) et

2. auri sumpti, quod L. Luccei servis Caelius daret, „per quos Alexandrinus Dio necaretur, magnum crimen, vel in legatis insidiandis" cett. (§. 51). Praeterea arguebant senatorem a Caelio pontificiis comitiis pulsatum esse (§. 19). Hoc tamen et quae sequuntur paragraphis proximis cumulationis et invidiae causa a lege seiuncta (cf. §. 72) ab accusatore videntur esse addita. Neque vero veneficium illud cum causa ac lege cohaerere puto; certe obscura est res, ut caute facias, si nihil inde de argumento legis de vi eruere coneris. Restat igitur solius Dionis Alexandrinorum legati causa.

Defensus est autem Caelius praeter Ciceronem a M. Crasso, ut ait Cicero, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae (§. 23). Seditiones Neopolitanae quales fuerint ignoramus, itemque Pallae causa plane ignota est. Quare his ut incertis omissis vis Caelii qualis fuerit, ex his potissimum cognosci puto:

1. quod Dio Alexandrinorum legatus per servos auro corruptos trucidandus curabatur,

2. quod Alexandrinorum legati pulsati erant. Nam quod Catilinae familiaritas obiecta erat Caelio, id non tam accusationis quam invidiae causa videtur dictum esse (cf. §. 10. 15).

Iam patet iis quas satis novimus accusationibus, dico autem causas illas priores duas a Cicerone defensas, praeterea ea quae p. 7 secundo et sexto loco attuli, id esse commune, quod homines dicebantur ad vim faciendam comparati. Testis est causa Sestiana tota, praeterea Sullanae loci plurimi, veluti §. 54. 62 seqq. 68. Quare non metuemus opinor temeritatis opprobium, si vim illam eam definiamus, quae per manus et turbas coactas concitatasque illata sit. Armis vero rem geri oportuisse facile conicias ex plurimis Sestianae locis, tamen ut concedas arma intellegi debere non gladios tantum, sed quidquid nocere homini possit (Dig. 48, 6, 9; Paul. sent. rec. 5, 26, 3). Nec obstat, quod in digestorum

titulis de vi publica ac privata (Dig. 48, 6. 7) non omnino requiritur vim factam esse hominum coactorum armatorum opera. Similiter enim in interdicto unde vi digesta non requirunt, quo quis hominibus pluribus coactis aliquem de fundo deiecerit; at id ipsum Ciceronis aetate in interdicto comprehensum fuisse, certo colligitur ex Cic. p. Tullio §. 7. 11. 12. 23; p. Caecina §. 2. 23. 25. 26. 31. 33. 35. 36. 59. 80. 104. Eodemque modo in actione de vi bonorum raptorum cum formula edicti ita concepta fuerit: „Si cui dolo malo hominibus coactis cett.," Ulpianus (Dig. 47, 8, 2, 7) negat oportere homines fuisse coactos, ut actioni locus esset. Ait enim: „item si proponas solum damnum dedisse, non puto deficere verba: hoc enim, quod ait „hominibus coactis" sic accipere debemus „etiam hominibus coactis," ut sive solus vim fecerit sive etiam hominibus coactis vel armatis vel inermibus, hoc edicto teneatur" (ita Mommsenus legit Savignium secutus). Quam rem praeclare illustravit Savigny, Zeitschrift f. Rechtswiss. 1825, V. p. 123 seqq.

Deinde adhibitam illam vim cognoscimus,

1. ut comitia turbarentur, 2. ut vel concio disiceretur vel rogatio perferretur. Addo 3. iudicia turbata teste Cicerone p. Sull. §. 15 „ille (Autronius Catilinae socius) ambitus iudicium tollere ac disturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concursu," quibuscum conferenda sunt ea, quae paullo infra §. 64 leguntur haec: „nemo labefactare iudicium est conatus". Neque abhorret ab his Catilinae sociorumque accusatio, quos propterea videri legi de vi obnoxios fuisse, quod in comitiis armis vim facere conati essent, supra iam monui.

Incidebat igitur in iudicium de vi lege Plotia, qui comitia vel concionem vel iudicia turbarat per vim hominibus coactis armatis, cf. Paulus sent. rec. V 30* (Huschke). Late enim patebat extremis rei publicae temporibus labes illa congregationum, videturque lex de vi omnes istas congregationes, hominum ad vim faciendam coemptiones prohibere voluisse.

Quin etiam a. u. 698 sodalitates decuriatique senatus consulto discedere iubebantur, decretumque est ut lex de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea poena, quae esset de vi, tenerentur. (Cic. ad Quint. fr. II, 3, 5). — Privatorum autem iniurias, etiamsi vi hominibus coactis illatae essent, in iudicium legis Plotiae deductas esse nusquam invenimus. Nam quod aedium privatarum direptiones huc rettulit Waechterus, vide ne parum caute fecerit vir amplissimus. Traditur quidem a Cicerone de harusp. resp. 8, 15 decrevisse senatum eos, qui aedibus Ciceronis vastitatem saxis et ignibus et ferro intulissent, lege de vi teneri. Primum autem attendas velim, idem hoc fere esse ac quod supra de sodilitatibus decuriatisque (ad Qu. fr. 2, 3, 5) narratum est. Scilicet non incidebat in Plautiam legem, qui id fecisset, sed poena tantum legis de vi ut teneretur, decretum est. Qui vero in sodalitates coiissent, eos in Plautiam de vi legem commisisse, nemo fuit qui diceret. Deinde si quodvis incendium vel aedium direptio vis illa legis Plautiae putabatur, quid opus erat senatus consulto? Immo declarare voluit senatus causam illam non videri privatam. Quid quod magistratibus mandatum erat, curarent, ut sine vi aedificare Ciceroni liceret? quod pecunia publica domus illa aedificabatur? (de har. resp. §. 15.)

Quae si recte disputata sunt, vim illam, ut quaestioni lege Plautia locus esset, et coactis hominibus et contra leges atque instituta quodammodo rei publicae exercitam esse oportebat. — Adde his iniurias legatis illatas: omnia habes Plautiae de vi legi certo attribuenda, quae quidem satis, qualia fuerint, noverimus.

Alia plane observatur vis in digestorum titulis de vi publica ac privata (D. 48, 6 et 7). Nota est res neque nobis hic exponenda, quam supra iam (p. 12) leviter attigimus. — Eorum autem quae certo Plautiae legi tribuenda esse vidimus, in digestis redeunt et turbae ad iudicia tollenda concitatae et legatorum pulsationes (Dig. 48, 6, 10 pr. et l. 7). Paulus autem sent. rec. V 30[A.] eum quoque lege publica teneri ait „qui petiturus magis-

tratum . . . . . turbam suffragiorum causa conduxerit, servos advocaverit, aliamve quam multitudinem conduxerit". Reliqua quae digesta enumerant ad rei publicae ipsius securitatem arctius pertinentia, veluti quae leguntur l. 3 pr. l. 7. 10. 12, de iis fuissentne etiam Plautiae legis propria nihil traditum est, quamquam consentaneum est non fuisse ab ea aliena.

Etenim illa quae supra enumeravimus Plautiae legis, ut ita dicam, capita si consideres, legis indolem ac naturam fuisse invenies non eam quam Waechterus statuit, sed quam Johnius fere delineavit. Gravia enim sunt crimina atque atrocia eaque, quae cum maxime ad statum liberae, qualis tunc erat, rei publicae turbandum valeant. Neque abhorret haec opinio ab iis, quae generatim de indole legis tradita sunt. Ait enim Cicero p. Cael. §. 1 „idem cum audiat esse legem, quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rem publicam oppugnarint" cett. (cf. §. 70). Puto autem, si coniecturae locus est, haec ipsa fuisse capita legis. Redeunt enim paene eadem in interrogatione in Vatin. §. 40, ubi refertur Miloni obiectum esse a Vatinio, quod „gladiatoribus et bestiariis obsedisset rem publicam". — Haec si consideres, facile adducaris, ut vim fuisse statuas crimen maiestatis violentum, quam opinionem Mommsenus proposuit in scholis de iure crim. Rom. habitis. Certe consimilem habitam esse maiestatis crimini inde apparet, quod Caesar eandem utriusque poenam constituit, quodque et de vi et maiestatis condemnatis provocatione interdictum erat (Cic. Phil. I. 9, 21. 22). Quidnam autem interfuerit inter utramque legem, difficile est dictu. Ac John quidem in commentatione ea, quam supra attulimus, p. 76 hoc, ut brevi praecidam, fuisse ait discriminis, ut statueret in maiestatis iudicio quaeri debuisse, voluissetne reus leges et instituta civitatis omnino pervertere, cum qui de vi causam diceret non id egisse putandus esset, ut leges tolleret, sed ut suam de optima legum condicione opinionem vi obtineret. Sed totum hoc discrimen et novicium est neque usquam

apud veteres ullum eius vestigium comparet. Equidem hoc tenendum puto, principalem legis Plautiae vim fuisse eam, ut turbae hominibus conductis in re publica conflatae vindicarentur, sive comitia aut concio disiecta esse dicerentur sive iudicia turbata, sive maiestati populi R. detractum esset exterarum civitatium legatis iniurias afferendo, vel si qua sunt his similia; ut generatim atque universe comprehendit Cicero Phil. I. 9, 21 si maiestas populi R. minuta esset per vim. Itaque consimilis quodam modo erat maiestati, modo ne id quaerendum fuisse dicas, maiestasne imminuta esset necne. Nam de vi quaestio erat facti cum maiestatis causa constaret ex definitione, ut ait auct. ad Herenn. I, 12, 21, cf. II, 12, 17 et saepius. Tollebat igitur lex de vi latebras illas sescentas ex definitione maiestatis imminutae se offerentes.

Sed paullatim videtur stricta haec et severa notio obsolevisse liberiorque hic illic interpretatio temptata esse, ut vel privatae iniuriae vi hominum turba publice illatae a iudicio non excluderentur. Testem puto esse causam Milonis, qui ob caedem Clodii in iudicium de vi vocatus est. — Deinde mutata rei publicae forma cum cessarent potentiorum circa honores ac iudicia contentiones cumque et comitia paene sublata essent e re publica et conciones et rogationes, Plautia lex inutilis facta est aliaque de vi lege, quae privatorum, ut ita dicam, securitati magis consuleret, opus erat. Inde explicanda vis notio, qualis in digestis legitur, plane alia ac fuerat ante versum civitatis statum.

## §. 3.
## Iudicii forma ac poena legis.

Convenit criminis, quale nobis visum est, atrocitati iudicii quoque forma severior. Deprehenduntur autem quaedam a more iudiciorum in aliis quaestionibus consueto aliena. Provocationem enim de vi condemnatis datam non esse supra iam cognovimus ex Cic. Phil. I, 9, 21. — Deinde cum alioquin servorum in caput domini quaestiones prohibitae

essent (cf. Tac. A. II, 30), id in quaestionem de vi non cadere ab Asconio in argum. Mil. edocemur, qui servos Milonis ait ne torquerentur manumissos postea nihilo minus ab accusatore ad torquendum efdagitatos esse. Quodsi Sullae §. 78 servorum quaestiones ac tormenta minitabatur accusator, non Sullae sed aliorum servos intellegendos esse apparet. — Festis quoque diebus et extra ordinem de vi quaerebatur (Cic. p. Cael. §. 1; Caelius ad fam. 8, 8, 1; cf. Ascon. in Mil. p. 40 (Or.). — Denique in hac nostra quaestione iudices non sorte duci sed ab accusatore edi soliti esse videntur reiectione alioquin consueta vel plane sublata vel certe finibus angustioribus circumscripta. Qua de re exposuit Mommsenus de collegiis et sodaliciis Romanorum p. 65. Quippe ita intellegendum esse docet locum Sullanae §. 92 hunc: „vos reiectione interposita nihil suspicantibus nobis repentini in nos iudices consedistis, ab accusatoribus delecti cett. cf. §. 93. Simillimus autem huic est Plancianae locus §. 40 „tu deligas ex omni populo aut amicos tuos aut inimicos meos . . . . ? tu me ignaro, nec opinante inscio notes . . . . ? deinde effundas repente“ cett. Hoc igitur, etsi de singulis quaestio remanet incerta, videtur probari, in Sullam cognitum esse a iudicibus editiciis. Eos autem non solum in quaestione sodaliciorum sed in aliis etiam iudicasse colligitur ex Cic. p. Planc. 15, 36 „quod genus iudiciorum (sc. iud. edit.) si est aequum ulla in re nisi in hac tribuaria, non intellego quam ob rem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore neque eandem editionem transtulerit in ceteras causas“. Scilicet in quaestione sodaliciorum mitior quaedam iudices edendi valebat forma, ita ut tota tribus reicienda esset non singuli singularum tribuum iudices, cum in aliis quaestionibus quae item haberent iudices editicios haec accusatori lex non esset imposita. —

Poena autem legis Plautiae quae fuerit ignoramus. Ciceronem sane si audias, exilio puniebantur de vi damnati; cf. perorationes Sullanae et Sestiana. At idem Cicero p. Caecina §. 100 „nulla, inquit, in lege nostra reperietur, ut

apud ceteras civitates, maleficium ullum esse exilio multatum: sed cum homines vincula neces ignominiasque vitant, quae sunt legibus constitutae, confugiunt quasi ad aram in exilium“. Itaque ante orationem p. Caec. habitam exilium nulla lex poenam statuerat, legem autem de vi hac oratione antiquiorem esse omnibus qui de hac re disputaverunt constabat. Primum autem Caesarem suspicor hanc propter vim poenam sanxisse, cf. Cic. Phil. I. 9, 23. Quare recte videtur statuisse Waechterus lege Plotia damnatos pecunia multatos esse aliisque fortasse quibusdam ignominiis. Quod vero Cicero locis supra laudatis exilium poenam videtur innuere, non ita anxie premendum est. Namque etiam repetundarum damnatos, cum pecunia multarentur, solum saepe vertisse constat. Non igitur poenam ipsam Cicero intellegit, sed hoc ait, si damnentur rei, fore ut patria cedere cogantur.

## III. Quando lata fuerit lex.

Sequitur iam quaestio de aetate legis Plautiae, quae vereor, ut certo solvi possit. Quamquam enim plerique legem illam ad annum 664/5 rettulerunt, tamen speciosioribus quam verioribus usi sunt argumentis. Attribuerunt autem illi anno et Pighius et qui eum secuti sunt Manutius et Ernesti. Scilicet quod constat illo anno M. Plautium Silvanum tr. pl. legem tulisse eam, qua primum senatores cum equitibus iudicarent (Ascon. in Corn. p. 79; Cic. Corn. fr. 27, Or. p. 451), decepti Plautii nomine eiusdem hanc nostram de vi legem esse contenderunt, cum id modo constaret anno 664/5 fuisse tribunum plebis M. Plautium Silvanum eumque tulisse legem iudiciariam. Vidit hoc vir summus Waechterus meritoque temeritatem illorum reprehendit. Quam tamen ipse de aetate legis Plautiae protulit coniecturam, vereor ut firmiore nitatur fundamento. Adsensus autem illorum de aetate ipsa coniecturae rationem adfert aliam. Scilicet secutus Pighium illius anni adfert tribunos plebis M. Plautium Silvanum et Q. Lutatium Catulum. At id ipsum, scilicet Catulum

fuisse tribunum pl. a 664, ideo posuit Pighius 3, 228, ut legem de qua agitur utrique tam Plautio quam Catulo tribueret. Quo quasi fundamento concusso tota illa Waechteri coniectura corruat necesse est.

Itaque alia quaeramus argumenta. Iam Plautios ac Lutatios saeculi septimi si examinemus, non invenimus quidem fuisse ullos earum gentium in magistratu ullo collegas. Si vero recte posuimus Lutatiam a Plautia lege diversam fuisse nullam, aut statuendum est earum gentium viros in magistratu aliquo fuisse collegas aut a Plautio latam esse legem principalem, Catulum eam denuo tulisse clausulae loco quibusdam fortasse additis. Ego cur posterius hoc reiciendum esse putem, supra exposui p. 5.

Apparet autem legem Plautiam latam esse non posse post a. u. 690, quo anno Catilinam a L. Paullo lege ea interrogatum esse auctor est Sallustius bell. Cat. 31. Monuit hoc iam Waechterus neque quisquam non videt. Sed addi potest, non posse latam esse legem post a. 686, si quidem eo anno Caecina a Cicerone defensus est. Namque in ea oratione §. 9, cum depelleret Cicero opprobrium adversariorum querentium, quod interdicto de vi potius quam mitiore aliqua actione confligeret, „ex quo genere peccati, inquit, ut illi clamitant, vel iniuriarum vel capitis iudicia constituta sunt, in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere?“ Genus autem illud peccati dicit vim hominibus armatis coactis illatam, capitisque iudicium intellegere debemus quaestionem de vi lege Plautia institutam.

Porro Cicero cum ait legem latam esse „armata dissensione civium, reipublicae paene extremis temporibus“ (p. Cael. §. 70), cogitasse putandus est aut de fluctibus Cinnanis aut de Lepidiano tumultu. Nam bellum sociale non fuit armata dissensio civium. Cinnana autem tempora re vera appellavit dissensionem civium p. Fonteio 3, 6. Sed quoniam Plautium fuisse tr. pl. novimus Lepidiani tumultus tempore i. e. anno u. 676, eumque legem tulisse, qua Lepidanis exsulantibus reditus in patriam daretur, veri videtur similius huic potius anno legem nostram

tribuere, donec certius aliquid prolatum erit. Eamque video esse Sigonii (de iud. II c. 33) opinionem, qui legem Plotiam latam esse proposuit illo anno ex auctoritate Catuli consulis. Tulisse autem ita Catulus legem recte opinor a Cicerone dici potuit. Iam quod obiecit Waechterus (N. A. XIII, p. 17), ablato tribunis pl. per Sullam iure cum populo agendi non potuisse illo tempore tribunum pl. quemquam legem ad populum ferre, refutatum est a Mommseno (Zeitschrift f. Alt. 1846 p. 106 sq. et C. I. L. p. 115). Non omnino enim ablatum est ius illud tribunis plebi, sed ita restrictum, ut prius senatum consulere cogerentur quam de re quadam ad populum ferrent. Eoque rettulit Mommsenus formulam illam in legibus tribuniciis illius aetatis usitatam DESS, quam male olim interpretabantur „designati," cum esset „de senatus sententia".

Sed haec coniecturae loco posui, non ignarus litem adhuc esse sub iudice.



# Vita.

Ego Friedericus Guilelmus Zellmer natus sum patre Andrea Guilelmo, matre Ludovica e gente Beckeriana anno 1844 die 30. mensis Decembris Ostroviae, quod est provinciae Posnaniensis meridionalis oppidum. Parentes me, quamquam pertenuis erat res eorum, gymnasio Ostroviensi educandum tradiderunt, quo absoluto maturitatis testimonium nanctus a. 1863 migravi Berolinum philologiae studium in universitate ea amplexurus. Per octo semestria audivi Boeckhium, Droysenum, Hauptium, Huebnerum, Jordanum, Mommsenum, Muellenhoffium, Trendelenburgium. Interfui praeterea per septem fere semestria exercitationibus historicis Mommseni, cui debeo quidquid in rerum Romanarum studio profeci, quique etiam postea et consilio et auctoritate me adiuvit.

Patrem morte amisi a. 1867.

Examine pro facultate docendi quod dicunt superato a 1869, post absolutum stipendium militare annuum scholarem hanc, ut ita dicam, militiam inii mense Octobri a. 1869 in gymnasio nostro Coloniensi, apud quod ab anno inde 1871, cum Dei gratia salvus revertissem ex bello Francico, ordinarii praeceptoris munere fungor.

